DE COLICA SATURNINA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS THEODORUS RIEMANN

LIPSIENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. FERBER, med. et chir. Dr., et med. pract.

G. ROTH, med. pract.

C. SCHNEIDER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

GUILELMO HELLER,

MED. ET CHIR. DOCTORI, MED. PRACT. APUD SORBIGENSES,

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO!

Cogitanti de dissertatione inaugurali, quae superatis tentamine philosophico et examine rigoroso ad summos in medicina et chirurgia honores adipiscendos requiritur, diu mihi dubium fuit, quid eligerem, accuratius tractandum et publicae commilitonum censurae subjiciendum. Nam quae adolescens in medicina tiro observat, ad ea ducitur tantum a praeceptoribus doctissimis, ita ut quid novi eum allaturum esse spes sit nulla. Si autem id intendit, ut, quae viri doctissimi variorum temporum de hoc illo capite docuerunt, ea diligenter conferat, et copia rerum et brevi, quod in academia commorari licet, tempore impeditur, ne commentationem componat, quae prorsus satisfaciat. Vehementer igitur a lectore benevolo peto, ut meas quoque studiorum primitias benigne et indulgenter excipiat. Quod quidem eo magis spero, cum auctoris dissertationis inauguralis esse censeam, minus aliis, quam sibimet ipsi id, de quo scribat, informare.

SCRIPTORES, QUORUM OPERA LEGI, SUNT:

De Haen, ratio medendi. T. III et X.

Stoll, rat. medendi, part. VI.

Ramazzini, über die Krankheiten der Künstler und Handwerker, neu bearbeitet von Ackermann. Stendal 1780.

Al. v. Brambilla in den Abhandlungen der Joseph. Academie. 1. Bd.

K. G. Kühn, gesammelte Schriften von Tronchin, Strack, Huxham, Grashuis über die Bleikolik. Leipzig 1782.

A. G. Richter, specielle Therapie 4. Bd.

Andral, Clinique médical. T. IV.

Sander, über chronische Bleivergiftung in Casp. Wochenschrift 1836.

Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheiten. Berl. 1840.

Litteraturam nostrae colicae accuratius collatam legimus in Encyclopaedie der medicinischen Wissenschaften. Berlin 1832. 8 Bd.

NOSOGRAPHIA.

Cum varia ab autoribus relata nostri morbi symptomata legamus et revera non semper eadem observemus, distinguamus ea necesse est, quibus colica saturnina semper apparere solet et alia, quae e variis conditionibus originem ducunt. Plerumque enim plumbi particulae tantum corpus ad certum usque detrimentum insidiose invadunt, ita ut morbus sensim sensimque excolatur; interdum antem fit, ut, magna copia una dosi ingesta, veneficium subito cooriatur. Quam ob rem illa potissimum symptomata quasi essentialia afferre liceat.

Incipiunt aegri plerumque diutius occupati in eruendis et excoquendis mineris plumbeis vel in tractandis praeparatis saturni, de sensu premente vel urente in regione epigastrica et scrobiculo cordis conqueri; alii dolores obtusos, abruptos in hypochondrio dextro habent. Appetunt nec cibum nec potum, profusa saliva, cujus saporem describunt fastidiose dulcem, ad crebras vomituritiones irritantur; illa in ore per noctem praecipue

accumulata, odorem emittunt foetidum. Totam fere tunicam mucosam cavi oris tegmento griseo et albido ostendunt obductam. Digestio ciborum exigua; alvi dejectio tarda et dura. Genae collabuntur atque pallescunt; cutem sentis siccam et rigidam, interdum subflavum ejus colorem percipis (1).

Per hoc stadium quasi chronicum aegri torminibus ventris vexantur, ipsi vero plerumque remediis purgantibus et salinis et oleosis, quorum efficaciam traditione cognoverunt, levamen sibi parant. Elapsis vero septimanis, mensibus tanta debilitas et dedolatio accedit, ut aegros laboris taedeat. Tandem aliquis torminum impetus ad ferociam tantam accrescit, ut aegrotus medicum adire cogatur.

Tum observamus duo symptomata pathognomonica, dolorem vehementissimum et obstructionem pertinacissimam.

Dolores sunt acutissimi, ardentissimi, intestina quasi contorquentes; sedem habent praecipue circum umbilicum, protenduntur vero inde regionem versus pubis, lumborum, cervicis, thoracis. Qua de causa pectoris oppressionem, adeo respirationem sibilosam, asthmaticam atque palpitationem cordis validam non raro animadvertimus. Vox est aspera, interdum plane evanescit. Stoll refert duos aegros habuisse sensum rei per oesophagum ascendentis, imo sternum versus laryngem tractum esse, unde strangulationis species orta sit. Spasticam dolorum esse naturam statuere debemus, quod illi profundo pressu non

---

(1) **Ramazzini** l. c. 2. Thl. S. 119.

solum non augentur, sed adeo minuuntur; interdum tamen, si inflammatio intestinorum accedit, aegri minimam compressionem non ferunt. Noctu exacerbantur tanta cum vehementia, ut aegros reddant insomnes et ejulatus miserrimos extorqueant (1).

Praecedit et comitatur hosce diros cruciatus alvi abstructio pertinacissima, remediis, alias maxime efficacibus, saepe haud superanda, quam, quod mirandum, quatuordecim ultra dies aegri pertulerunt (2).

Soluta vero alvo vel sponte vel arte, excernuntur faeces perdurae, globulosae, stercori caprino simillimae et colore griseo earumque interdum tanta copia in intestinis accumulata est, ut tactu digitorum per abdominis parietes sentiantur.

Hic spasmus, qui illam obstructionem efficit, si ad vesicam urinariam progreditur, stillicidium, adeo retentionem urinae gignit atque auget vehementer dolores plexus meseraici. Testes sunt retrotracti et dolentes (3).

Totum abdominis prelum est contractum, ita ut umbilicus vertebram oppositam attingere videatur. Saepis-

---

(1) Sander, l. c.: „Manche ruhen stundenlang auf dem Hinterkopf und Nacken, während sie Rücken und Beine steil an den Wänden emporstrecken. Dabei drängen, grunzen und brüllen sie so, dass Hals und Kopf anschwellen, die Stimme auf längere Zeit verändert wird und sehr heftiges Nasenbluten eintritt. Andere lassen ihre Angehörigen, während sie selbst auf dem Rükken liegen und auf dem harten Fussboden sich ausstrecken, sich auf ihren Unterleib legen."

(2) Cf. Ilsemann de col. saturn. in Halleri Diss. pract. Tom. III.

(3) Stoll l. c. observavit penem et scrotum intumuisse.

sime autem abdomen tumidum, aëre in intestinis evoluto extensum observamus (1). Durante illa obstipatione aegri vomitu materiam viridem, aeruginosam, ipsas adeo faeces edere solent. Fauces et lingua sunt siccae, fuscae, rimosae, sitisque vix extingui potest.

Pulsus fortis, tardus, durus, vibrans, interdum etiam intermittens sentitur ut ferrea chorda tensa, serius demum, si morbus ad exitum felicem acclinat, paululum elevatur, justo celerior et frequentior est. Stoll pulsum durum existimavit signum pathognomonicum, sed Romberg (Lehrbuch der Nervenkrankheiten 1. Bd. 1. Abth. Berlin 1840) saepius hanc qualitatem pulsui deesse observavit. Cruciatus aegri augescunt doloribus vagis, qui magnam cum rheumaticis similitudinem habent et extremitates, maxime inferiores vel earum articulos solos occupant. Saepius relationem cum torminibus ventris ostendunt, his enim remittentibus, illi exacerbantur et vice versa. Dedolatio ad eum gradum jam pervenit, ut tremor artuum, tandem paralysis exoriatur. Qua corripiuntur maxime extremitates superiores tantum, interdum etiam singuli digiti; rarissime inferiorum quoque extremitatum paralysis visa est. Sensus omnino perturbantur. Pupilla dilatata est et mobilitatem amittit; quin imo debilitatur visus, ut ipsa amaurosis accedat. Semper fere aegri de vertigine et cephalaea conqueruntur, lipothymia capiuntur atque, si dolores ventris acmen acquisiverunt, in deliria et convulsiones incidunt. Colicae saturninae pauci tantum succumbunt, iique inter convul-

(1) Cf. Andral, Clinique médicale T. IV.

siones mortem apoplecticam subeunt; cum autem morbus per se jam valde ad recidivas pronus sit, plerisque autem fontem malorum fugere non liceat, postremo, laesis omnium fere organorum functionibus, tabes propria excolitur. qua illi miseri. febri hectica apparente, tarde et certo pereunt.

Varia mala, quae sub finem vitae accedunt, ostendunt intimam organismi depravationem; e quibus nominare modo licet phthisin pulmonum, hydropem, statumque scorbuto simillimum. ut in toto corpore conspicias maculas nigras ulceraque putrida.

AETIOLOGIA.

Veram solamque nostri morbi causam existere nimiam plumbi copiam in corpus ingestam Stockhusius primus statuit. Ingeritur autem venenum modo pulmonibus, modo cute, modo tubo intestinali, saepius una omnibus tribus viis, unde hae illaeve differentiae, quae in decursu colicae observantur, originem fortasse ducunt. Certe multi animadverterunt, aegros multo vehementius affici, si plumbum cute et pulmonibus organismum invasit, quam canali intestinorum. Summa igitur praedispositio est omnibus iis, qui effodiunt aut tractant plumbum. Aegrotant inde et pictores, qui pigmentis utuntur saturninis et operarii, qui e minio, cerussa et lithargyro illa pigmenta parant. Aegrotant figuli, si vasis lithargyro incrustandis operam navarunt, maxime vero, si lithargyrum in pollinem contriverunt. Observamus nostram colicam

apud politores, qui mediante quadam rota stannea, plumbea aut admixta aliqua portione plumbi poliunt; apud eos opifices, qui plumbum metallicum fundunt, ut varia utensilia conforment. Interdum etiam fit, ut pharmacopoei, diutius in remediis saturninis parandis versati, colica corripiantur; in ipsos aegros, quorum sanitatem restituant, illa remedia detrimentum interdum conferunt, veluti plures medici, praecipue aetatis antiquioris, observarunt omnia colicae saturninae symptomata oborta esse ex usu interno sacchari saturni ad sanandam gonorrhoeam vel leucorrhoeam. Ejusdem famosae memoriae est illa tinctura antiphthisica Garmanni. Non minus autem timendum est, ne colica saturnina se evolvat, si plumbum forma unguenti, emplastri, vel potissimum aquae nimis magnae superficiei cutis nudae applicatur. Brambilla narrat feminas duas, per plures menses remedio cosmetico e cerussa parato usas, in colicam saturninam tantae ferociae incidisse, ut altera succumberet. Interdum venenum simul cum cibis et potu adducitur. Quod cum plerumque ita fiat, ut vasa plumbea, quae male stannata sunt, vel figularia male incrustata ad cibos servandos in usum vocentur, omnia fere totius alicujus familiae membra veneficio afficiuntur. Exempla hujusmodi non rara legimus ab auctoribus collecta. Inde etiam causa repetenda est, cur colica saturnina apud Belgas tam frequens fuerit, ut fere endemica fieret; hi enim propter inopiam aquae fontanae canalibus plumbatis tecto affixis pluviam colligebant. Saepius etiam, antequam vis nociva plumbi nota erat, in singulas urbis partes e fontibus procul distantibus per tubos diffundebatur plumbeos. Hic

quoque mentione est dignus ille pulvis famosus s. d. poudre de succession, quo successio principum accelerabatur. Cui denique in memoriam non venit illa vini acidi adulteratio. Quum enim uvae ad Rhenum crescentes ad maturitatem haud pervenissent vinaque reddidissent acida, vinarii illa, ut palato magis accepta et vendibilia facerent, mangonio e saccharo saturni parato adulterabant. Ita colica illis annis vino improsperis una cum vino edulcato per multas Germaniae provincias se extendit. Undique vero montanos impetit venenum, adducitur enim cibis, potu. aëre. Ex his jam facile colligi potest, viros magis laborare quam mulieres, cum illi saepius rebus noxiis sese exponant. An certa aetate et variis anni temporibus praedispositio major ponatur, nondum satis exploratum. Sunt saltem metallurgi, qui, colica saturnina nunquam affecti, ad aetatem summam pervenerunt. Qui vero Baccho et Veneri indulserunt, ii saepius et vehementius corripiuntur.

Postquam vero plumbum hac illave forma in corpus influxit, exigua jam causa occasionali eruptio colicae provocatur. Huc pertinent victus depravati, usus uvarum, vinorum acidorum, fermentantium, refrigeratio corporis aestuantis, vehementes animi affectus, maxime ira frequenter suppressa. Fuerunt etiam, qui his causis solis colicam nostram exortam esse contenderent. De hoc errore infra occasio erit disserendi.

DIAGNOSIS.

Noster morbus symptomata tam peculiaria praebet atque e causa tam certa nascitur, ut cum aliis non facile possit confundi. Ab inflammatione intestinorum et peritonaei distinguitur pulsu tardo, doloribus spasticis, qui, faecibus large evacuatis, per horas diesque saepe intermittunt; praeterea etiam illi, pressu in abdomen adhibito, non augentur, sed potius imminuuntur. Si denique respicimus ad contracturam omnium fere musculorum et ad symptomata nervosa, quae rarissime plane desunt, nullum periculum est, ne morbus alter pro altero habeatur. Magis jam similia sunt symptomata, quae cuprum ejusque praeparata in corpus ingesta producunt. Sed pro illa obstructione pertinacissima, quam in colica saturnina observamus, existit eadem diarrhoea, quae enteritidem comitatur(1). Insuper naturam inflammatoriam in symptomatibus canalis intestinorum cupro laesi praevalere satis notum est. Semper autem nostrum morbum cum colica Pictonum et Damnoniorum confuderunt, donec Stockhusius discrimen primus constituit. Vitabimus autem errorem in diagnosi statuenda, si respectum habemus et aetiologiae et decursus. Primum enim colica Pictonum apud incolas illius regionis Galliae invenitur, Damnoniorum autem in provincia quadam Angliae. Hic locorum homines potu quotidiano uti solent vino recenti, fermentante vel pomaceo. Qua de causa in nonnullis Germa-

---

(1) **Romberg l. c.**

niae provinciis illa colica vegetabilis emersit annis, quibus incolae messem largam fecerunt uvarum, quae nondum juste maturuerant. Eorum, qui colicam saturninam et vegetabilem eundem morbum censent, nonnulli, velut P. Frank atque Richter, contendunt, illud vinum recens colicam gignere, quod plumbo depravatum sit; sed plurimi hoc recte negarunt, cum adhuc nondum unquam illud metallum ex illo vino paratum sit.

Colica vero saturnina potissimum apud fodinas usuvenit, e quibus plumbum vel alia metalla, quibuscum plumbum junctum est, eruuntur, atque in eorum aedibus, qui praeparata saturni vel regulum metalli tractant. Sufficiant vero ea, quae supra jam de causa morbi scripsimus. Breviter modo comparem decursum. Primum magis lente et tarde colica vegetabilis ingreditur, cum diutinam causarum in organismum actionem requirat, priusquam omnino exculta sit; deinde tormina abdominis sunt minoris ferocitatis et dolores secundarii, qui colica nostra affectorum occupant extremitates earumque articulos, vulgo sedem habent in regione dorsali et lumbali, unde etiam ischuria dolorosa. Huc accedunt, ut signum pathognomonicum, ructus acidus, ardor ventriculi, sapor foetorque acidus et postremo vomitus materiae acris et acidae. Qui haec omnia diligenter perpenderit, eum nunquam errorem subiturum crediderim.

SECTIONES.

Scire quonam in organo dirum malum sedem habeat et quasnam mutationes materiae efficiat, cujus non multum interest? Primus de Haen multum temporis et studii in id impendit, ut sectione cadaverum naturam morbi abstrusam explanaret. Saepius quidem invenit dilatationes et stenoses singularum partium intestinorum, maxime coli, et alia symptomata inflammationis, glandulas abdominis, ut hepar, lienem, glandulas mesentericas obstructas durasque. Sed omnia haec nostram colicam non magis in lucem proferunt, quam sanguis in substantiam cerebri effusus, si homines nostra colica aegri apoplectice perierunt. Idem lucrum exiguum illi e sectionibus fecerunt, qui animum systemati nervoso magis attenderunt. Quamquam enim Astruc liquorem fluidum intra medullae spinalis involucra exsudatum se observasse contendit, tamen a nullo alio medico hoc confirmatum est, atque Andral in cadaveribus octo sectis abnorme in nervis et periphericis et centralibus nihil invenit.

PROGNOSIS.

Omnino prognosis colicae saturninae est bona. Nam si nobis refertur (ab Andral l. c.) ex aegris quingentis nostro morbo affectis quinque tantum periisse eorumque duos haemorrhagia, quae accessit, concedere debemus, nullum alium morbum, qui similes cruciatus in aegros conferat, tam feliciter evenire. Si vero ad singulos ae-

gros respicimus. varia sunt, quibus illa bona prognosis circumscribitur. Semper enim, adeo si sanato effluvia plumbi noxia fugere licet, ne morbus redeat, valde timendum est. Quum vero plerique, ut victum quaerant, ad fontem malorum redire cogantur, eo magis recidivas colicae pro certo habere debemus et transitum in statum cachecticum suspicari. Aliud, quo prognosis ad malam magis vergit, quaerendum est in amaurosi, paralysī extremitatum et epilepsia. Etiamsi enim hae affectiones interdum leviores sint adeoque sponte evanescant, tamen non raro fit, ut cuique curandi methodo pertinaciter resistant. Jam signa specialia afferre licet. Bona signa habenda sunt, si aeger primo in colicam incidit et prius auxilium, quam morbus vehementiam magnam adeptus, a medico petiit: si affectiones nervosae, ut tremor artuum, debilitas sensuum, anxietas pectoris, modicum tantum gradum nactae sunt. Impetus torminum mox finem fore sperare licet, si pulsus, hucusque tardus, contractus, fortis, se elevare atque accelerare incipit, lingua humescit, sitis temperatur; maxime vero, si alvus, hucusque pertinacissime clausa, solvitur atque faeces multae dejiciuntur. Infaustum est, si aeger jam saepius correptus est colica saturnina, si convulsiones vehementes accedunt, quae semper mortem apoplecticam minitantur; praecipue relapsum scriptores censent timendum, quam diu faeces duras de integro formari sentimus, nec minus malae indolis esse censent foveam, quae inter digitum indicem et pollicem conformatur.

CURA.

Antequam de ipsius morbi therapia verba faciam, nonnulla de prophylaxi praemittere liceat. Primum curandum est, ne ii, quorum est laborare cum plumbo, diu obnoxii sint aëri plumboso. Hunc ad finem, cum aerarii in vallibus propter aquam vivam jaceant, necesse est aptae construantur fornaces, quibus vapores isti venenati quam celerrime tollantur; operarii nonnunquam a labore abstineant; vestimentis accurate inhaerentibus utantur, ne aër infectus in totam corporis superficiem influat. Ii vero, qui cerussam tractant, totam faciem persona telae tenuis et pellucidae defendere debent a pulvere suspenso. Magni quoque est momenti, balneis saepius iteratis cutem a particulis plumbi inhaerentibus liberare. Omnibus autem suadendum est, ut, priusquam laborem subeant, aliquid edant, ne, si quid plumbi ingeritur, parietes ventris laedantur, sed potius statim plumbum involvatur et fortasse cum faecibus rursus evacuetur, quin nocuerit. Eadem de causa saepius salivam ejiciant et os cautissime eluant, praesertim cum victum assumere volunt. Sed omnibus his cautelis impediri non potest, ne venenum invadat. Ut hoc statim innocens reddatur, varia sunt proposita. Maximam vero utilitatem attulit usus cibi pinguis et oleosi, ut butyri, lactis etc.; praeterea etiam exhibentur remedia, ut sulphur ejusque praeparata. Ita Brockmann eos montanos, quorum sanitati conducit, per menses aestivos semel vel bis quaque hebdomade balneo e kali sulphurato cum acido sulphurico parato uti jubet. Deinde remedium exstat a Percival laudatum, quo utebantur montani in Anglia, si

noxios plumbi in corpus effectus timebant. »Plerumque, ut ejus verbis utar, abstinent labore et sese conferunt ad calcarias, quia experientia eos docuit ibi celerrime extingui veneficium.« Gendrin exhibet magnas doses aluminis.

Transeo ad curam therapeuticam. Qualis constituenda sit, si morbus excultus est, diu sententiae medicorum discrepabant. Alii salutem in emeticis quaesiverunt, quibus enemata fortissima et drastica adjungebant. Sed de hac methodo de Haen refert, non raro exoriri vehementes convulsiones, antequam vel interea dum remedia operentur. Alii solis utuntur purgantibus et emollientibus. Denique non desunt, qui paucioribus evacuantibus, sed emollientibus internis externisque copiosis, plurimo oleo, idoneo opio curam instituant. Omnibus vero curandi methodis hoc vitium commmune est, ut non ex aequo omnibus prosint (De Haen). Plerique igitur id intenderunt, ut certam, qua quamque colicam saturninam curarent, methodum reperirent. Quod sibi contingere, eo magis sperare poterant, cum morbus semper ex eadem causa exortus eandem quoque naturam verisimiliter offerat. Interea e vario decursu (varia intensitate et complicatione cum enteritide) jam patet, non eadem remedia aegris omnibus auxilium ferre posse. Qua de causa certiores indicationes ponantur necesse est, quibus medicus in cura instituenda ducatur.

Primum causa removenda est. Raro aegri exsistunt, qui, magnis dosibus plumbi ingestis, laborent, vel potius timeant, ne laboraturi sint colica. His praescribatur emeticum, quo veneni quam celerrime pars maxima evacua-

tur. Ut vero residui quoque plumbi vis deleatur, administrentur remedia, quibus salia, in humore intestinorum insolubilia componantur. Maxime vero laudatum est acidum sulphuricum. Simul eliminatur per alvum plumbum sulphuricum, si exhibita sunt salia sulphurica, ut magnesia et natr. sulphuric. Hac ratione levissimi gradus sanantur. Sin venenum per cutem et pulmones sensim sensimque corpus invasit, vel per ventrem exiguis dosibus, non exstat indicatio causalis, sed statim morbum ipsum petimus.

Quum affectio primaria sit hyperaesthesia plexus mesenterici, alia vero symptomata ex illa originem ducant, primum methodum sedativam in usum vocemus necesse est. Sumenda sunt igitur remedia e classe narcoticorum eorumque primum locum tenet opium. Mirum est, quantum hoc plerisque aegris prosit, ita ut specificum fere haberi remedium mereat. At vero opio diarrhoeam sistere solemus, quomodo alvum moveat? Nonne timere debemus, ne periculum mortis apoplecticae, quam saepius observamus, augeatur? Sed afferam quod Stoll ait: »Certe persuasus sum, illum graviter errare, qui insultum epilepticum et secutam mox apoplexiam opio potius, quam spasmis abdominis, sanguinem versus encephalum urgentibus adscripserit; alios enim aegros in nosocomio nostro videmus, qui priusquam ullum remedium assumserant, convulsionibus correpti mortem apoplecticam subibant; alii autem lethargo et epilepsia correpti non nisi assumpto opio sanabantur.« Atque alio loco dicit: »Opii usus liberam alvi excretionem adeo non impediebat, ut eam potius, ultimis praesertim diebus, cum opium

largius exhiberetur, insigniter augeret neque ulla inde capitis perturbatio, sudor, ardor urens aut alia symptomata ab opio produci solita animadvertebantur, ac si omnis opii vis in delendo veneno saturnino fuisset consumpta.« Continuato igitur opiatorum usu dolores cruciantes mitigantur et alvus non raro sponte aperitur. Cum autem secretio tunicae mucosae tractus intestinalis et plumbi vi exsiccante et opii propria efficacia suppressa sit, bene conjungimus cum opio remedia oleosa et mucilaginosa, quibus faeces durae et siccae involvantur. Quod assequimur oleis vegetabilium mitioribus recenter expressis, ut oleo olivarum, amygdalarum dulcium et amararum, nucis juglandis, seminum papaveris, ol. ricini. Eodem consilio Burger (cf. Horns neues Archiv für medicin. Erfahrungen. Bd. 2. Heft 2. S. 535) opium junxit cum hydrargyro muriatic. mit., ita ut quaque hora tertia opii gran. dimidium, calomelanos autem granum unum aegrotus assumat. Interdum tamen, si opii usus complicatione cum biliosa ventriculi illuvie vel cum inflammatione contraindicatus est, substitui potest extr. hyoscyami, cujus parva dosi id nonnunquam efficimus, quod majore etiam opii dosi vix assequi solemus (Stoll). Alia nervina antispasmodica, ut camphora, moschus, castoreum, valeriana ad celeriorem quidem sanationem opem suam conferunt, sed nunquam ea praestant, quae opium. Haec adjuvamus potu demulcente, ut decocto seminum lini, cannabis, avenae excorticatae, althaeae, sago, salep. Externis quoque remediis internorum effectus adaugeamus necesse est. Quem ad finem fomentationes calidas, emollientes et cataplasmata abdomini applicamus, frictiones oleosas anti-

spasmodicas, ut olei hyoscyami cocti, unguenti nervini instituimus atque semicupia et balnea in usum vocari jubemus. Magnum etiam afferunt levamen sinapismus et vesicantia ad suras apposita, ut facta ibi irritatione spasmus derivetur aut solvatur. His omnibus remediis non raro contingit, ut morbus sanetur. Plerumque vero, si veneficium est quasi inveteratum, tantus torpor et languor canalis intestinalis remanet, ut faecum evacuandarum causa motus peristalticus remediis drasticis necessario irritetur. Exhibeantur igitur rheum, senna, manna, tamarindi, scammonium, ol. crotonis. Mirum est, quod haec remedia interdum plus emolumenti afferunt, si per anum applicantur, quam per os (Stoll). Hac medendi ratione omnes fere aegri sanantur, nisi organismus tantopere depravatus est, ut ad sanitatem reduci nequeat, vel alii morbi secundarii accedunt. Si vero noster morbus spasticus complicatur cum inflammatione intestinorum, apparatus antiphlogisticus primum adhibeatur; repulsa vero inflammatione cautissime tantum drasticis uti licet. Quem in inflammationem transitum morbi rarissime modo revera observamus. Ii vero medici, qui illum metuentes ab usu drasticorum abstinent, ea in memoriam sibi revocent, quae in actis nosocomii Parisiensis relata sunt. Hic enim omnes nostro morbo aegri eidem curandi methodo subjiciuntur; curantur vero et opio et drasticis fortioribus, quae remedia secundum certum typum porriguntur. De eventu vero hujus methodi jam supra diximus.

Superata colica, aegroto nondum licet discedere quasi sanato; semper potius sub medici cura adhuc per nonnullum tempus stet necesse est, ut integritas canalis

intestinalis et morbo et remediis laesi restituatur; hunc ad finem praebemus remedia nutrientia et tonica cum nervinis, e. g. infus. rhei cum extractis amaris, pilulas, quae saponem, asam foetidam, ferrum continent, infus. valerianae, serpentariae, arnicae, decoct. radicis. calami, quassiae, chinae. Minitante vero obstipationis relapsu, exhibeamus ol. ricini salia media, clysteres aperientes.

Diaeta, quae praescribenda est, respondeat remediis, initio igitur sit parca atque tenuis, magis fluida, quam consistens, mucilaginosa atque involvens. Assumat aegrotus lac et decocta mucilaginosa saccharina; in stadio convalescentiae caute ad res magis nutrientes progrediatur et id spectet, ut cibis quoque alvum leniter moveat.

Si hac medendi via colica nostra non superatur, certa remedia exstant, quae gravissimis in casibus emolumentum attulisse multi medici observarunt. De his jam nonnulla dicere liceat. Maxime laudatum est alumen, quod primo a Grashuis propositum, deinde a multis, ut modo van Swieten, Lentin, de Haen, Richter commemorem, adhibitum est. Quamquam illi viri docti saepe hoc remedium contra colicam nostram praescripserunt, tamen nunc, ubi methodo illa sedativa, qualem supra exposuimus, certo fere aegros sanamus, in miserrimis tantum casibus illo uti licet, praesertim cum aluminis contra nostrum morbum efficaciam nullo modo explanare possimus.

Richter tradidit formulam hanc:

℞ **Alum. crudi ʒiß**
solve in
Aq. font. destill. ℥vi
Syrup. alth. ʒvi

M. S. Alle 2 Stunden einen halben Theelöffel voll.

Praeferendum vero sit alumen conjungere cum opio, ita ut porrigatur hora quaque tertia alum. scrup. i et opii gran. pars quarta vel dimidium.

Cluterbuck hydrargyr. muriatic. mit. interne impendit, simul cum externo usu unguenti cinerei. Sed de ratione, qua hoc remedium solum tollat nostrum morbum, eadem valent, quae jam de aluminis efficacia diximus. Denique sunt, qui in iis gravissimis casibus, qui omnia nostra remedia jam commemorata vicerunt, suadent, ut mercurio vivo faeces anum versus propellantur. Sed hujus remedii usus omnino repudiandus est, non solum quod est periculosissimus, sed etiam quod a quaque lege physiologica et pathologica discrepat.

Jam superest, ut nonnulla de illis affectionibus secundariis addantur, quae colicam nostram saepius comitantur aut sequuntur.

Quod ad ischuriam attinet, quae frequenter accedit, non requirit medicamenta peculiaria, sed, quod est signum spasmi majoris extensitatis, ad summum applicantur vesicantia ad suras. Interdum tamen, si retentio longius perdurat, hirudines adhiberi necesse est.

Magis jam agendum est contra apoplexiam, quae inter convulsiones et impetus epilepticos saepius intrat. Semper vena statim secanda est et topicae quoque sanguinis detractiones non sunt negligendae; praecipue vero id intendere debemus, ut ipsa colica quam celerrime superetur: nam si convulsiones semel exacerbatae sunt, ne mox redeant, vehementer metuendum est.

Maximi vero momenti sunt illae affectiones systematis nervorum. Has saepius sponte, i. e. sub cura colicae evanescere multi quidem animadverterunt. Qua de causa ill. Stoll in mentem venit, an non opium, quod illum quasi tetanum et paralysin intestinorum solvere poterat, in illa quoque artuum paralysi, quae non a vera partium ad motum requisitarum relaxatione, sed a spasmodica potius illarum constrictione pendeat, salutare esse possit. Residuis vero illis morbis secundariis semper indicatus est usus externus et internus nervinorum irritantium. Porrigantur igitur camphora, balsama, olea aetherea et decocta resinosa, ut sassafras, guajaci. Magnum etiam sulphur ejusque praeparata attulerunt emolumentum. Praeterea instituantur frictiones spirituosae; ut tantum commemorem spiritus formicarum, serpylli, tinct. cantharidum, ol. sinapeos. Magnam sibi paravit laudem nux vomica vel potius strychninum; cavendum vero est ab ejus usu, si paralysis ex apoplexia sanguinea evasit.

Jam remedium restat electricitas, quam valde profuisse de Haen et alii referunt. Sed alii viri non minus docti et fide digni hunc effectum non observarunt,

ita ut nunc vix unquam vel in desperatis tantum casibus illud remedium anceps in usum vocetur, praesertim cum strychnino utamur longe certiore remedio. Multo magis sperare licet, naturam ipsam, rebus faustis, illa residua sublaturam esse.

VITA.

Carolus Theodorus Riemann natus sum die XXVI mensis Maji anni millesimi octingentesimi decimi sexti patre Carolo, matre Sophia e gente Jaeger. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis et scholis privatis et schola publica imbutus, Moldanum illustre, quod Rectore Weicherto, viro de me optime merito, floret, per annos sex frequentavi. Inde in gymnasium cathedrale Parthenopolitanum me contuli. Elapso uno anno, maturitatis testimonio instructus anni millesimi octingentesimi tricesimi septimi mense Aprili in alma universitate Halensi in civium academicorum numerum ab Ill. Gerlach, t. t. Prorectore Magnifico, receptus atque medicinae studiosis ab Ill. Krukenberg, t. t. Decano spectabili, adscriptus sum. Praeceptoribus ibi usus sum hisce: Cel. Schaller de logice, Ill. Erdmann de psychologia; Ill. Schweigger physicen et chemiam exposuit et experimentis perfectissimis illustra-

vit; Ill. Germar de mineralogia; Cel. de Schlechtendal de botanice; Beat. Nitzsch de zoologia; Cel. Steinberg de chemia analytica et pharmaceutica; Ill. d'Alton anatomen corporis humani et methodum sectiones rite instituendi eximie mihi demonstravit neque minus in exercitationibus anatomico-practicis dux mihi fuit benevolus; praeterea physiologiam mihi explanavit. Adii insuper scholas Cel. Moser de osteologia et syndesmologia, qui idem anatomen corporis humani repetiit; Ill. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia medica, de materia medica et de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia generali ejusque omnibus partibus specialibus; Ill. Blasius de chirurgia et generali et speciali, de ossium fractura et luxationibus et de arte fascias rite applicandi. Scholis clinicis interfui Ill. Krukenberg et Blasius.

Annis tribus cum dimidio elapsis Berolinum discessi, et ab Ill. Lichtenstein, t. t. Rectore Magnifico, almae universitatis civibus et a Beat. Osann, t. t. Decano medicorum ordinis maxime spectabili, albo medicorum sum inscriptus. Audivi Ill. Kluge de arte obstetricia disserentem et exercitationibus practicis in nosocomio urbis interfui; praeterea clinicis scholis interfui Ill. et Cel. Schoenlein, Truestedt, Wolff, Juengken.

Sub duce Exper. Bieske, medico legionario, apud

equites cataphractos praetorianos chirurgi militaris munere voluntarius functus sum.

Quibus viris, maxime de me meritis, summas quas possum gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Febres essentiales negari non possunt.
2. In inflammatione nulla vis vitalis est adaucta.
3. Rigor mortis non oritur e sanguinis coagulatione.
4. Remedium specificum non exstat.
5. Voluntas medici in remediorum numero habenda est.